

# P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIBER QVARTVS

Nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse  
addidit, expediam, pro qua mercede canoros 150  
Curetum sonitus crepitantiaque aera secutae  
Dictaeo caeli regem pavere sub antro.  
Solae communes natos, consortia tecta  
urbis habent magnisque agitant sub legibus aevum,  
et patriam solae et certos novere penates, 155  
venturaeque hiemis memores aestate laborem  
experiuntur et in medium quaesita reponunt.  
Namque aliae victu invigilant et foedere pacto  
exercentur agris; pars intra saepta domorum  
Narcissi lacrimam et lentum de cortice gluten 160  
prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces  
suspendunt ceras: aliae spem gentis adultos  
educunt fetus, aliae purissima mella  
stipant et liquido distendunt nectare cellas.  
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti, 165  
inque vicem speculantur aquas et nubila caeli  
aut onera accipiunt venientum aut agmine facto  
ignavum fucos pecus a praesepibus arcent.  
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.  
ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis 170  
cum properant, alii taurinis follibus auras  
accipiunt redduntque, alii stridentia tingunt  
aera lacu; gemit impositis incudibus Aetna;  
illi inter sese magna vi bracchia tollunt  
in numerum versantque tenaci forcipe ferrum: 175  
non aliter, si parva licet componere magnis,  
Cecropias innatus apes amor urget habendi,  
munere quamque suo. Grandaevis oppida curae  
et munire favos et daedala fingere tecta.

At fessae multa referunt se nocte minores, 180  
crura thymo plenae; pascuntur et arbuta passim  
et glaucas salices casiamque crocumque rubentem  
et pinguem tiliam et ferrugineos hyacinthos.  
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus:  
mane ruunt portis; nusquam mora; rursus easdem 185  
vesper ubi e pastu tandem decedere campis  
admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant;  
fit sonitus, mussantque oras et limina circum.  
Post, ubi iam thalamis se composuere, siletur  
in noctem fessosque sopor suus occupat artus. 190  
Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt  
longius aut credunt caelo adventantibus Euris,  
sed circum tutae sub moenibus urbis aquantur,  
excursusque breves temptant et saepe lapillos,  
ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram, 195  
tollunt, his sese per inania nubila librant.  
Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,  
quod neque concubitu indulgent nec corpora segnes  
in Venerem solvunt aut fetus nixibus edunt:  
verum ipsae e foliis natos, e suavibus herbis 200  
ore legunt, ipsae regem parvosque Quirites  
sufficiunt aulasque et cerea regna refigunt.  
Saepe etiam duris errando in cotibus alas  
attrivere ultroque animam sub fasce dedere:  
tantus amor florum et generandi gloria mellis. 205  
Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi  
excipiat, neque enim plus septima ducitur aestas,  
at genus immortale manet multosque per annos  
stat fortuna domus et avi numerantur avorum.  
Praeterea regem non sic Aegyptus et ingens 210  
Lydia nec populi Parthorum aut Medus Hydaspes  
observant. Rege incolumi mens omnibus una est;  
amisso rupere fidem constructaque mella  
diripere ipsae et crates solvere favorum.

Ille operum custos, illum admirantur et omnes                    215  
    circumstant fremitu denso stipantque frequentes  
        et saepe attollunt umeris et corpora bello  
    obiectant pulchramque petunt per vulnera mortem.